



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hyperdvlia Mariana

**Berchmans, Johannes
Canisius, Jacobus**

München, 1636

Prooemivm. Ioannis Berchmanni Ortvs, Obitvs, Virtvs.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55266)

PROOEMIUM.

IOANNIS
BERCHMANNI
ORTVS, OBITVS,
VIRTVS.

IOANNES BERCHMANNVS Die-
sthemij in Belgis III. Idus Martias
M D X C I X. honestis parentibus na-
tus, sequenti Dominico Prid. Id. eius-
dem mensis, Baptismi mysterijs initia-
tus, seruatâ vsque ad extremum vitæ
diem intactâ, purâque ab omni morta-
li flagitio prætextâ innocentia, in Ba-
ptismo acceptæ, etiam in pueritiâ nul-
lam rem vnquam puerilem designare,
sed instar alterius cuiusdam Tobia græ-
uitatem, maturitatem, verecundiam,
modestiam, pietatem, maximè Maria-
nam, virtutemque omnem porro præ-
stare

stare solitus, Anno à partu Virginis
 M D C X V. initio sui ad Scholas Socie-
 tatis accessus, omni statim contentione
 in Virginis beatissimæ sodalitiū ad-
 mitti precatus, & in id summo omniū
 consensu, & approbatione relatus, om-
 nibus in hac Congregatione, bonita-
 tis exemplum prælucere, pro virili con-
 nixus, Anno M D C X V I. annos natus
 X V I I. & medium, Societatem I E S V, at-
 que ex hac Idib. Aug. Anno P. C. N.
 C I D I D C X X I. cælum (uti spes est) in-
 gressus, fuit virtutis omnis, & inprimis
 Hyperdulix Marianæ cultor. Amore
 profectò (qualis filij erga Matrem solet)
 in beatissimam Virginem rapiebatur,
 quam colebat religione tantâ, vt ad cul-
 tum eius propagandum in hanc lucem
 esse editus videretur. Ideò de se consta-
 re in vulgus lærabatur, vt tanto liberiùs
 de eius passim laudibus hoc nomine lo-
 qui posset, vtpote publicus Virginis
 præco.

Innocentem animam placidissimè reddidit Creatori suo manè, Idibus Augusti M DC XXI. qui Veneris dies erat, dimidiâ supra duodecimam horâ, annos natus duos & viginti, menses quinque, oculis in Crucem, quam manibus, vnâ cum Rosario, Regularúmque libro complectebatur, defixis, pronuntiatis sanctissimis IESV ac MARIAE nominibus. Defuncti cadauere iam de more curato pollinctóque, adeò in natiuum colorem Ioannes redijt, vt viuo similior, quàm mortuo spirare placidissimèque dormire videretur. Non diu tamen ea species constitit, quin floridus ille oris color in pallorem versus facilè ostenderet, priscum formæ decus iam morti in spoliolum cessisse.

Extremâ vitæ suæ Vesperâ cuidam suo commilitoni id fortè interroganti respondit præsentissimū potissimūque præsidium, quo ad religiosæ vitæ perfectionem adipiscendam, erat adnissus, fuisse amorem, religionémque aduersus

Virginem sanctissimam, quam ingenti
 fiducia solebat Matrem suam appellare.
 Hæc sunt Scribentis verba. Patrona San-
 ctitatis, Sanitatis & studiorum, tu es mea
 Mater, Virgo MARIA. Ità Berchman-
 nus; cuius Mariana pietas, perfectaque
 virtus. subiectis grauissimorum virorū
 testimonijs declaranda; quò nimirum
 Primus Hyperduliam discendi ardor no-
 bilitas sit magistri, vt loquitur S. Amb,
 de B. V. Berchmanni Magistra.

TESTIMONIUM

Eminentissimi Roberti Car-
 dinalis Bellarmini.

Hic Vic Romæ ad D. Andreae degenti
 cum Berchmanni virtus, sed in pri-
 mis eius moribus, velut imagine, expres-
 sa beatissimæ Virginis modestia, Ange-
 licæque Corporis, & animi integritas ta-
 lis, vt etiam alios vel aspectu sui pueris-
 simis castitatis amoribus inflammaret.

rela-

relata fuisset: Singularem profectò gratiam, inquit, Iuuenis (qualis Ioannes erat) valentis ac Spiritus pleni. Et aliàs idem Cardinalis similia de Berchmanno audiens: Priuilegium hoc, inquit, Beatissimæ Matris, non nisi illius ipsius favore potuit seruo ac filio eius impertiri: eidem Cardinali cum formula auctoramenti, quo perpetuum se fore Conceptionis immaculatæ Marianæ vindicem vouerat, indicata fuisset, O rem egregiam, inquit, mirèque adinuentam, inquit, sic fidem Virgini obstrinxisse, scripto etiam sacramento! Equidem credo id ei ab ipsa Virgine instinctum, quæ filium illum suum voluerit à partibus suis stare. Sic Eminentissimus ille Cardinalis non tantum modò scientiâ, sed integritate morum, sanctitatisque famâ per omnes orbis oras celebratus, mihi Iacobo Canisio familiariter, ac de facie notus Romæ; qui auditâ Berchmanni morte, & eximiarum virtutū ornamentis cum lacrymis deplorauit, neque viuo

familiarius se fuisse vsum, neque ægri
 inualetudinem cognouisse, neque per
 morbum visitasse; vt salutem suam eius
 precibus commendaret.

TESTIMONIUM

R.^{mi} IACOBI SECCI
 Æthiopici Patriarchæ.

EGO Iacobus Seccus affirmo, familia-
 liter me vsum fuisse Ioanne Berch-
 manno, Flandro Belgâ, in Collegio Ro-
 mano eiusdem Societatis, iuvene insi-
 gni vitæ innocentia, animi puritate, mo-
 rûmque suauitate. Ob quæ ornamen-
 ta sæpius eum appellauî verum seruum
 filiûmque Beatissimæ Virginis, quam
 ardentissima charitate amabat ac vene-
 rabatur. Non rarò etiam sub vltimos
 vitæ menses, cum sacro meo ministra-
 ret, religioni habere, cæpi, tractari à me
 indignè irreligiôsèque diuina illa myste-
 ria, illo mihi ministrante, quem ob animi
 puri.

puritatem, aliarumque virtutum commendationem sciebam DEO acceptissimum esse. Cum in ultimam incidit ægritudinem circa Assumptæ Virginis festum, vtcunq; leuis initio esset morbus; per eam tamen opinionem, quæ de eius mihi sanctimonia erat, clarè dixi P. Marco van Doorne iam Collegij Gandauensis Rectori, id verò temporis Romano in Collegio mecum librorum inspectori, Ioannem verosimilius moriturum, non morbi quidem grauitate, sed quod tam castum MARIÆ seruum, ac filium, Deus sibi vindicaturus videretur. Post felicissimam eius mortem tria sacra, quæ defunctis in eadem domo Sodalibus expendantur, ego quidem persolui, non tamen pro moruo feci, sed de Deiparâ, vt gratiam referrem DEO, quòd talem tam innocentem MATRI suæ famulum in cælum transcripsisset. Vertebeam enim mihi in religionem, quasi posthabitarum diuinarum promissionum, si DEO preces, aut sacra pro illius anima persoluif-

fem, in cuius innocentissima vita, tam felici exitu absoluta, nunquam vel minimam deprehenderam actionem, quæ non ex diuinæ legis, aut Regularum nostrarum esset præscripto facta. Neque minus mihi certum est, illum iam in cælis à DEO ingenti cumulatam esse gloriâ, quàm se præsens hisce oculis vsurpasssem. Si autem vniuersas eius virtutes commemorando percurrerem, res ab illo plurimas affirmare possem, quibus censeo in omnibus eum excelluisse. Sed pauca hæc in DEI gloriam ac laudem de tam sancto ac innocente fratre nostro, Societatis alumno, nostrumq; omnium exemplo, iuratâ religiosè Sacerdotis fide putavi fuisse testanda. Hactenus Reuerendissimus Iacobus Seccus, Lusitanus, creatus Episcopus, vt succederet Æthiopico Patriarchæ, qui in eo itinere decessit, & Roma discessurus in Æthiopiam, hoc illi testimonium tribuit.

TESTIMONIUM

Ill^{mi} ANGELI CÆSI,
filij Ducis d' Acqua-Sparta.

Hic virtutem Berchmanni adeò semper suspexit, vt non rarò in Collegij hortum venerit eius obseruandi causa, dum colloquij horâ cum alijs animû relaxaret, simûlque illo se spectaculo recreandi, quo omnes vnico campanæ signo audito, sermonibus intermissis, silentio summo, ad suas quisque occupationes in cubicula reuertuntur. Iam nempe id illi maximo solatio erat, eum videre in illo mortis procinctu, tanta animi tranquillitate, tanta alacritate vultus iacentem, ac si æger non fuisset, audire tam placidè loquentem de morte, deque secururâ vitâ. Cuius orationibus cum salutem suam commendasset, inde digressus affirmabat, visum sibi Angelû in eo lecto vidisse iacentem, in quo tam

placidè quiescebar, tam expeditè loque-
batur, vt nec morbi, nedum mortis sen-
sum vllum habere videretur.

Sic Illustrissimus Dux Angelus Cæsus
de Angelo nostro Angelorum Dominæ
deuotissimo.

TESTIMONIUM

P. MUTII VITELLESII
Præpositi Generalis Socie-
tatis I B S V.

Felicis memoriæ frater noster Ioannes
Berchmannus, iuuenis reuera fuit
innocentiâ ac puritate insigni, Angelicis
moribus, pietate admirabili, virtutibus
solidis, ac perfectis, Instituti nostri, regu-
larumque seruantissimus, omnibus qui
vnquam cum eo sunt versati, quocunq;
tempore aut loco per quamcunque oc-
casionem, summi semper exempli, aded
vt neminem repererimus, qui vnquam
in eo deprehenderit vel minimum defe-
ctum

ctum aut imperfectionem. Ita P. Mucius Vitellescus Societati I E S V Præpositus Generalis in epistola, quâ vitæ eius historiam à P. Virgilio Cepario scriptam probat.

TESTIMONIUM

Archipresbyteri Diesthemien- sis.

Hic cum semel accuratè interiora Ioannis Berchmanni secum reputasset, hoc de eo eximium testimonium dixit: Angelum fuisse Ioannem, in eoque Angelicam castitatem effloruisse, atque ad summam, dicturos omnes in Ioanne fuisse virtutum omnium thesaurum, Sic Archipresbyter ille.

TESTIMONIUM

P. FRANCISCI PICCO-
lomini.

FVit Berchmanno vir hic olim in Phi-
losophicis scientijs Magister (hodie
à Secretis Societatis IESV) quo cum fa-
miliariter suas diuinarum rerum ratio-
nes eâ re communicare Berchmannus
consueuerat, quod videret illi Patri cor-
di esse, vt auditores sui integritate vitæ
florerent; illudq; studere, ne minus vir-
tute, pietatēque proficerent, quàm stu-
dio rerum Philosophicarum. Hanc ob
rem facultatem à superioribus impetra-
rat (quoties ad Magistri cubiculum ita-
bat) proponendi quaestiones, non so-
lùm de controuersijs studiorum, verùm
etiam de vsu cælestium rerum, quod ille
magna Patris delectatione faciebat, qui
virtutum eius præstantiam admiratus,
gaudebat scilicet, gratulabatúrque tam
sancto discipulo, qui sibi ad pietatem ef-

set

set incitamento, cæteris collegis exemplo. Hic itaque P. Franciscus Piccolomini, cum post sui discipuli huius obitum in triclinio, ex altiori loco de virtutibus, rebûsque ab eo gestis dixisset, deinde testimoniũ etiam literis consignauit, quo strictim initio vniuersales quasdam, sed momenti magni sententias præmisit; porro speciatim ad eius bonitatem virtutemque descendendo scripsit in hæc verba.

Cum mandatũ sit auctoritate Maiorum, vt ea vniuersim in medium proferram, quorum de Beatæ memoriæ Fratris nostro Ioanne meminissem, id verò lubens volensque facio, non tam vt testimonio meo certitudinem, atq; auctoritatẽ virtutibus eius conciliem, quàm vt specimen aliquod præbeam summæ illius opinionis obseruationisque, quã semper erga eum fui, suspiciens in terris luuenem instar Angeli de cælo. Et quantum quidem ad animi interiora attinet, quoniam ille (seu demissionis aut in-

structionis suæ, seu pudoris mei causa) eorum participem me esse voluit, illud ante omnia affirmo, triennio, quo Philosophiæ spatia confecit, quoque continenter mecum versatus est, in cubiculum meum quotidie semel aut iterum familiariter ventitabat, nunquam vel publice vel priuatim à me obseruatum defectum vllum quàm leuissimū, sed è contrario modestiam præcipuam perpetuam quadam vultus, morumque constantiam adstrictam.

Deinde neminem vidisse me fateor adeò cælestibus rebus imbutum, adeoque faciliè ac veluti suapte naturam obijcientem se præsentia DEI, & quod maximè admirandum, simul tam præsentem sibi attentumque ijs, quas agebat rebus, & domesticis omnibus ad quæcunque obsequia promptum.

Tertiò nullum id ætatis noui tam capacem arduissimarum cogitationū, aut tanta DEI cognitione atque arte exercendæ religiosæ perfectionis præditum.

Quar-

Quarto, neminem reperi, qui in vulgari communique nostrâ vitâ minus haberet rei vulgaris aut communis, quiq; magis ad viuum exprimeret effigiem verarum virtutum singularisque illius perfectionis, quæ in prisca Religionis nostræ Patribus elucebat; quorum vitas resque gestas nemo, quod sciam, illo exactius conabatur imitari.

Quintò, non solum constantem sese in re semel susceptâ præbebat, sed & noua quæ excogitabat, adiungebat semper sui promouendi causa, prorsus vt cum aliquando ad me referret, quid rerum ageret à primo diei exordio, quantumq; continenter adderet rerum nouarum, liquido ei affirmavi, haud diu ita perseveraturum, si præcipuis solummodo rebus intentus, omisâ illa rerum minutarum curâ non desineret à se animoque suo studijs ita fatigato tot simul alias res tam exquisitè accuratèque exigere. Et euenit certè breui, quod fore prædixeram. Atque hæc generatim ad Dei

gloriã de seruo eius Ioanne dicta sunt.
 Haftenus de beato discipulo suo Berch-
 manno P. Franciscus Piccolomini, cuius
 in Philosophicis disciplinis ego Iacobus
 Canisius olim Romæ condiscipulus fui.

TESTIMONIVM,

P. THOMÆ MASSVCCI.

Hic vir in Collegio Romano rerum
 sacrarũ præfectus in paucis doctus,
 omniumque opinione spectarum vitæ
 integræ exemplar & oculus actuum
 virtutumque internarum Berchmanni
 testis in hanc sententiam scripsit. Obe-
 dientiæ sanctæ imperijs iussus ea scribe-
 re quæ commemorassem de spectatissi-
 mis virtutibus, sanctisque moribus opti-
 mi Fratris nostri Ioannis Berchmanni,
 quanto & è DEI gloria, & è bono nostro
 videbar obstrictior, etiamsi non interro-
 gatus de eo loqui, cuius conscientiae ar-
 cana tractavi extremo vitæ anno ab in-
 cunte

eunte Ianuario Anni M DC XXI. vsq;
 ad Augusti diem in quo ; vti meritò cre-
 dimus è terris ad superos commigrauit.
 Per id tempus hebdomadatim semel
 aut sæpius ad me ventitabat sui expian-
 di causa, singulis verò mensibus, mini-
 mum semel rationem reddebat consci-
 entiaæ suæ, ferè descripto, quo breuissi-
 mè adnotata continebantur, quæ habe-
 bat indicanda ; neque vnquam præscri-
 ptum huic rei diem, aut horam, quâ e-
 rat confitendum, intermittebat, sed pri-
 mus ferè eo accurrebat. Hac fretus co-
 gnitione videor securè testari posse. Pri-
 mò, nouisse me Iuuenem nullum secun-
 dū B. Aloysium Gonzagam (quo cum
 vixi egique familiariter vltimo vitæ eius
 anno in Collegio Romano) vitâ specta-
 biliorem, conscientia puriorem, aut per-
 fectione excellentiorem hoc Ioanne no-
 stro.

Secundò, fuisse illi propositum pro vi-
 tæ religiosæ scopo, omni omnino virtu-
 te excellere, omnem progressum, quem
 posset

posset in studijs facere, non alia, quàm maioris gloriæ DEI & lucri animorum causa, atque ad respondendum gratiæ & Spiritui vocationis nostræ.

Tertiò, vsum esse adhuc finem assequendum Regularum nostrarum obseruatione, instar medij cuiusdam vniuersalis; qua in re absque omni importuna scrupulorum religione longè erat accuratissimus, vt ne vnã quidem (quantumuis multæ ac variæ sint Regulæ) deliberatè violarit; neque eo solum tempore quo animum eius excolui, sed reliquo etiam quod in religiosa vita duxit; quin imò vniuersæ vitæ cursu, non modò non habuit peccati alicuius mortalis conscientiam, sed nec venialis cuiusquã saltem voluntate admissi. Quæ res refert sanè plurimum, cum arguat seruatam ab eo mentis integritatem, quam in baptismo velut candidam vestem induerat, perfectionemque perpetuam, quã à principio ad extremum vsque virtutũ spatia decurrit, quæ prærogatiua pau-

eis quamuis eximiè sanctis est concessa,
Quartò, in seruandis tribus Religio-
nis votis adeo circumspiciebat, vt nihil
vnquam, cuius se hïc accusaret, seu gra-
ue, seu leue reperiret; speciatim verò ca-
stitatis tam rigidus fuit custos, vt cre-
dam eum nec motu vllò contrario, nec
oblato per somnum phantasiæ spectro,
vnquam fuisse stimulatam, quantū qui-
dem colligere possum, habitâ illius tem-
poris ratione, quo præfui eius conscien-
tiæ dirigendæ, cum apertissimus illi sim-
plicissimûsque esset animus; index etiam
minimarum rerum, qualem sibi semper
fore libello scripto promittit : Ero sin-
cerissimus, apertissimus, & sicut aqua
purissima cum Superioribus & Patre
spirituali.

Neque mirum ad tam excelsam puri-
tatis gradū eum adspirasse, cum in tantâ
vitæ innocentia diligentissimè sensus
suos custodiret, constanti temperantia,
perpetuâque sui afflictione; neque men-
tem nisi studijs forte districtam, vlla aliâ,
quàm

quàm DEI contemplatione, rerúmque sanctarum negotijs impediret.

Quintò, è meditationibus quotidianis tantos cœpisse fructus, vt æstimato intellectus eius lumine affectuúmque feruore, quibus ab aurora in vesperum ad vitæ religiosæ observationem, perseveruámque virtutum exercitationem adnitebatur, ego semper existimauerim fuisse cum perpetua gratiæ constantia cõmunitum; hoc est adeo circumseptum præsentè auxilio, opéque diuina, vt integrum illi fere non fuerit desinere penitus cum virtute agere; quo in statu donec è viuis ad immortales transiret, perseverauit.

Hactenus P. Thomas Massucci, Romæ, mihi Iacobo Ganisio coram de facie notus, vir in Societate IESV præstans, in paucis (vti dictũ) doctus, omniumq; opinione exemplar quoddam spectatæ vitæ, qui Ioanni Berchmanno fuit à sacris Confessionibus, Romanóque Collegio à rerum sacrarum præfectura; qui
pro-

propter easdem causas ob quas sequens
P. Ioannes Baptista Ceccotti potuit, ac
verò etiam obedientiæ iussu coactus de-
buit Berchmanni pœnitentis ac spiritualis
filij sui virtutibus incorruptum planè te-
stimonium perhibere.

TESTIMONIUM

P. IOANNIS BAPTISTÆ
Ceccotti.

Hic vir (vt neminem fugit) præstan-
ti vitæ integritate, nec scientia tra-
ctandi religiosorum mentes, quàm pe-
ritia rerum cælestium excellentior, qui
Berchmanno sacris à Confessionibus
fuit per biennium quo Berchmannus in
secessu degit, tórque iam retrò annorū
spatijs eo loci id munus administrauit,
testimonium in hæc verba de Berch-
manno tulit:

Vt morem geram Superioribus, qui
iusserunt, illud verè de Ioanne (quod ad
interiora quidem illius attinet) affirma-

re possum, non fuisse mihi exploratum
 animum vllum maiore puritate ac can-
 dore præditum, quàm illius, vtcunque
 multorum mentes, ex quo hoc munus
 gessi, pertractarim. Visa enim mihi est
 mens illa semper aliquid præ reliquis
 habuisse prærogatiuæ. Non enim erant
 eius peccata huius generis, quæ cum na-
 tura sua mortalia sint, tamen vel ob le-
 uitatem materiæ, vel coniurationē con-
 sensus, venialia vulgo censentur: sed
 huiusmodi solummodo erant, quæ &
 naturâ suâ venialia sunt & communiter
 euitari omnia non possunt, in quæ à
 Sanctissimis etiam viris impingitur im-
 becillitate naturæ proclinatæ, & huius
 quidem generis leuissima, neque delibe-
 rato ab eo commissa, & pauca admodum
 ob exactissimam sui custodiam, quâ in-
 res suas omnes externas, internâsque vi-
 gilantissimè excubabat, perpetuo quo-
 dam constantique vitæ tenore, quem
 nunquam nisi in melius commutabat,
 id quod à Spiritu sancto haud dubie

pro-

proueniebat, qui sanctam hanc animam peculiari quadam gratia possidebat. Errorum suorum etsi minimorum claram habebat cognitionem.

Conscientiã erat tenerrimã, non tamen scrupulorum religionibus anxia, aut angusta, ad amissim facta, vt eam depingit S. P. N. Ignatius libello verè diuino Exercitiorum, tractatu aureo de natura Scrupulorum. Quodcunque de perfectione docebatur id omne non solum imbibebat animo, sed re ipsa effectũ dabat. Dum ego ex legum nostrarum præscripto Contubernales illos nostros instruerem, notitiãque eis adferrem (quantum satis est) vitæ nostræ religionis ad summa quædam virtutum capita reuocatæ, secundum normam triplicis viæ, haustam ex ipsis fontibus, summarij maximè nostri communiũque Regularum; Ioannes noster summã docilitate, diligentiaque hanc meam institutionem excipiebat, nihil vel minutissimũ omittendo, plane vt nescirem quid

propriae perfectionis nostrae in eo desiderare praeterea possem. Vnde conficitur perfectionem eius fuisse huiusmodi cuiusmodi describitur in Summario, & Regulis nostris: id quod vnusquisque ita intuebatur, vt etiam certa fide testari posset, quemadmodum ego id significantius affirmo, qui interiore quadam ratione diu cum illo consueui, & communus caelestium gratiarum thesauros deprehendi, quarum plena erat mens caelestis, in qua nullam vnquam indomitam propensionem, aut effrenem animi motum obseruaui.

Amabant eum domestici iuxta ac obseruabant perinde vt Angelum paradisi, eaque erat ipse bonitate, vt in nemine vnquam vitium aliquod notare posset, qua ego re summopere delectabar. Externa eius modestia atque habitus qui religionem afflabat intuentibus, imaginem quaedam erat internae compositionis, quam ipsa nascebatur; quamquam non paulo excellentior erat interna praeparata, quam quae exterius eminebat.

Plu-

Plura de innocentissimo Iuvene non adfero, quia verba deficiunt volentem pro merito ac dignitate exprimere eam existimationem quam de Angelica puritate, innocentiaque tam beati Fratris concepi. Equidem religiosè felicem illum animum dum è corpore migravit ita discessisse expiatum, vt rectà conuolarit in cælum, nullo Purgatorio igne, multis meritis cumulatus ob insignem Regularum nostrarum obseruationem, vniuersæque illius perfectionis, quam à nobis exigit ordinis nostri institutum. Neque memini vidisse me vnquam obseruationem maiorem, accuratioremque illâ quæ in eo elucebat. Ita censeo asserendæ veritati subscriptus.

Ioannes Baptista Ceccotti Vir (vtri diximus) scientia & sanctitatis famâ clarus, mihi que Iacobo Canisio Romæ ante annos prope triginta familiariter ac de facie notus. Porro, ne forte quis mireretur quod hic vir, qui Berchmanno sacris à Confessionibus fuit adeò liberè

secreta Confessionum Berchmanni reuelarit, sciendum est primùm à P. Cecotti in hoc testimonio nullas reuelatas esse res, nisi quæ ad commendationem virtutis pertinent, quod licitè legitime rectèque fieri posse Theologi docent. Deinde Berchmannus ipsemet Confessarijs superioribusque suis potestatem fecit syngrapho scripto sua omnia indicandi, & hæc syngraphi verba sunt: Do facultatem vt plenè & liberè vtatur hac scientia ex Confessione.

TESTIMONIUM

P. ANTONII SVCQVETII
qui fuit Ioanni Berchmanno
rerum Spiritualium Magister.

Religione adductus, cum eum (Berchmannum) in petitione Societatis adhuc sæcularem, iussu superiorum examinarem, videbar mihi primo aspectu

Virg. Cepar. & Herman. Hug.

Vit. eius, pag. 37.

animique conceptu, Angelum humano
 in corpore videre, quem talem reuera
 esse, mox certius deprehendi ubi mentem
 eius penitus penetraui. Erat enim sum-
 ma eius innocentia, modestia singularis
 rara in agendo suauitas, & quod capue-
 est non humana sed caelestis. Superiorum
 erat obseruantissimus; constantissimus,
 rerum semel susceptarum, orationi de-
 ditissimus, in qua saepe praclaris à Deo
 luminibus fuit cumularus, neque aliud,
 quam DEI gloriam spirabat. Ita ex ani-
 mi sententia restor.

Alterum eiusdem P. Antonij Suc-
 quetij Testimonium ad P. Virgi-
 lium Ceparium.

Primam partem vitae fratris nostri Io-
 annis Berchmanni beatæ memoriæ,
 quam Reuer. Vestra diligenter conscri-
 psit, longè sanè mihi iucundissima acci-
 dit, & haud scio an alia vlla lectio gra-
 tior.

Virg. Cepar.

C 3

rior.

Et Herman. Hug. Vit. eius pag. 38.

tior. Videbar enim mihi videre denuo
 sanctum illum nostrum adolescentulum
 inter centum amplius nouitios Schola-
 sticos in tirocinio Mechliniensi veritan-
 tem Angelico suo more, veniebátque in
 mentem Sanctorum vestigiorum illius
 vitæ, operúmque bonorum, quæ, vt olim
 coram inspecta, mirè me rapuerunt, ita
 vt nunc iterum narratione Reuerentia
 Vestræ audita, me meosque ad imitan-
 dum, laudandúmque DEVM super seruum
 suo, incredibile quantum prouocarunt.
 Illud affirmo, mi pater, etiam si Superio-
 rum meorum iussu, illius regendi, instruen-
 endiq; prouinciam suscepissem, tamen
 ex quo animum eius perspectum habui
 eum semper cum admiratione suspensi-
 se atque etiam nunc DEVM orare quoti-
 tidie, vt eam mihi gratiam faciat, si non
 eius coæquandi, saltem aliquo vsque a-
 sequendi. Et certè pudet me mei, dum
 aspicio venerórque in dies magis ac ma-
 gis icunculam quandam mihi ab eo re-
 lictam, cui discedens inscripsit, se filium

indi-

indignum, me Patrem. Neque verba illa sine sensu aut rubore legere queo, cum tanto me interuallo abesse sentio ab ea perfectione, quam ille tam breui est spacio consecutus. Vere orque ne aliquando Deus illo contra producto, exprobraret mihi negligentiam ingritudinemque meam. Sæpe nunc me ipsum accuso obliuionis multarum rerum, quas illum aut religiosè agentem vidi, aut dicentem audiui, ad gloriam Dei instructionemque proximi, denique promouendam Regularum nostrarum accuratam obseruationem, spiritusque teuorem. Etsi enim multa Reuerentiæ Vestræ perscripsi, pauca tamen ea sunt, comparatione plurimorum: quæ ille absque cessatione, aut defatigatione faciebat, cum nunquam in Religionis operibus, indefessus hic Iuuenis vsurparet languidum illud: Sat est; aut Non amplius, sed generosum eius pectus auida semper, cupiditate longius vtiliusque tendebat. Et vt multa fuerint virtutum omnium ex-

ternarum, quibus eminebat, exempla,
longè certè plura fuere interiora animi
eius ornamenta, quæ ille mihi non ar-
rogantiâ sed morum fiducia apertòq; can-
dore patefaciebat. Quibus exploratis
hanc apud me de illo sententiam sum
concipere coactus, præuentum fuisse à
Domino in benedictionibus dulcedinis,
& iam inde electum ab incunabulis, in
habitaculum purissimum spiritus san-
cti, ac deinde eximiâ semper promptitu-
dine, constantiâque adnixum gratiæ di-
uinæ, cui ab aurora exorientis vitæ sinu
aperuerat mentis quàmque deinceps
conseruauerit semper.

Societatem ingressus quamdiu in
Belgio degit, viuum fuit perfectumque
religiôsæ disciplinæ exemplar, & singu-
laris obseruantix speculum. Amplius ob
ea quæ vel ab ipso accepi, vel in eo ipse
met vidi, ita semper existimaui, atque
etiamnum existimo, perpetuò eum re-
spondisse gratiæ vocationis, absq; omni
remissione, aut defectu, semperque inter

nos

nos sanctissimè vixisse. Profectò omniū
nostrū, qui cum eo viximus, quique
eum nouimus, vna semper fuit ienten-
tia, vitam inter nos duxisse Angelicam,
magna animi innocentia, agendi mode-
stia, suauitate morum, admirabili hone-
state, tranquillâ viuendi ratione, rerum
auspicatarum constantia, absolutâ obe-
dientia, promptitudinēque in seruien-
do, singulari prudentia, rerūque ge-
rendarum excellenti feruore spiritus,
continenter ob oculos positâ præsentia
Dei instar Angelorum, qui perpetuò
sunt in conspectu Domini. Verbo vno
complectar plurima, si dixerò: Benedi-
ctio Domini super caput eius, elegit
eum Dominus ex omni carne, electo ve-
rò dedit præcepta & legem vitæ, circum-
cinxit eum coronâ iustitiæ, dirigens in
exactâ religiosæ vitæ obseruatione, &
deinde magnificauit eum, & sanctum
fecit eum & induit eum Dominus coro-
nam gloriæ. In hanc sententiam veni de
optimo fratre meo, ex ijs, quæ in ipso

obseruauit, confirmantque hæ ferè res ;
Communis in eum prouinciæ huius
Flandro-Belgicæ affectus, veneratio, quâ
in eum feruntur ; per fugium orando, in
eo per fugium habent. Admirabitur for-
te id Reuerentia Vestra quod iam dictu-
rus sum, quodque ego apud me non ra-
rò cum admiratione reputauit, neque sa-
tis scio an hucusq; vnquam Sanctorum
vlli euenerit; argumentum haud dubiè
amoris communis in beatum hunc re-
ligiosumque Adolescentem, nec minus
indiciu voluntatis diuinæ in eo hono-
rando, Licet Romæ sit mortuus, nec
multis de vultu notus, eius tamen effi-
gies in æreas tabulas, à duodecim excel-
lentissimis Belgij sculptoribus est incisa;
imagines autem quâ impressæ quâ ven-
ditæ, quâ venales amplius triginta mil-
lia, supra eas, quæ obscuriorū sculpro-
rum cælo, quæ que in exteris prouincijs
factæ. Hinc conficio, felicem, beatumq;
hunc iuuenem Deo hominibusque esse
honoris; quorū Religionem Reuerentia

Ve.

Vestra augebit, prodendo res eius gestas, quæ ijs, qui huc vsque ignorarunt, futuræ sint exemplo, ijs verò qui scierint, incitamento ad imitandum, Deique maiorem gloriam procurandam.

Pergat porro Reuerentia Vestra ornare, quem DEVS exornat, & in lucem educere, quem DEVS palam posuit super candelabrum. Ego interea Deum venerabor, vt Reuerentiam Vestram dum scribet, dirigat, eiusque simillimum efficiat. Erunt hi duo, Aloysius & Ioannes duo Reuerentiæ Vestræ filij, Manasses & Ephraim: atque ita spero hunc vltimo genitum, capturū incrementa, fructusq; facturum ad gloriam DEI, & Reu. Vestræ consolationem, vt scio primum natu attulisse Reu. Vestræ obliuionem laboris omnis pro se expensi, quando tantus extitit DEI cultus ipsiusque Sancti veneratio à vita Aloysij euulgata, quam R. Vestra scripsit. Ita DEVS sanctorum animas manifestat terris, quas in caelo honorat. En Pater, quo me traxit affectus.

ctus, qui verbulo meditatus absoluere, bene longas literas scripsi. Condoneat id R. Vestra affectui, aut potius condemnet, qui de Iuene virtutibus omnibus ornato tam pauca scribens, imbecillitatem ingenij mei magis detexi, quam laudem illius, vt par erat, repræsentavi, obrutus pondere meritorum. Louanij XVI. Aprilis MDCXXIV.

Haftenus P. Antonius Sucquetius tunc tironum Societatis IESV in Flandro Belgica Magister, postea etiam Præpositus Prouincialis, scriptis typo pressis clarus,

TESTIMONIUM

P. THOMÆ BİSDOMINI.

Hic vir grauitate iuxta ac doctrina insignis, eximiae in Ioanne Berchmanno perfectionis admirator, deditam operam aliquando in Ioanne obseruare acutissime cepit num defectus alicuius

com-

compertus, quo à summa illâ perfectione aut inter loquendum aut agendum, disputandumue recessisset, reprehendi posset (quibus scilicet in rebùs, nisi quis ad amissim perfectus sit, procliuissimus est lapsus) nunquam tamen in eo vel erratum leuissimum, ne aduersus Eutrapeliam quidem obseruare potuit.

TESTIMONIUM

P. PETRI EMMERICI
qui Ioanni Berchmanno fuit in
bonarum literarum discipli-
nis Magister,

HAbebat (Ioannes) innocentiam, puritatemque tam singularem, ut ne nomen quidem nosset eorum vitiorum, ad quæ procliuis ferri hæc ætas solst; nec secus ac pestem amicitias eorum, qui licentiores erant, abhorrebat, ne qua mentem labecula contaminaret. Scholisque egressus in studia statim se
ab-

abdebat. Nusquam atque in templo frequentior, nec vsquam quam in toro rarior, Ex quo cultum religionemque in virginem sanctissimam didicerat, ex eo quoque à Virgine videbatur in vicem in curam patrociniùmque susceptus. Cum primum versus Latinos pangere cœpisset, permissus à me est pro libitu argumentum sibi sumere, & ille de IESV nomine poëma facere instruit, quo tantam affectuum teneritatem expressit, vt haud obscurum indicium fecerit, aliquando in Societate IESV futurum.

Hactenus P. Petrus Emmericus.

TESTIMONIUM
P. CORNELII DE LAPIDE.

ANimaduerti in nostro Ioanne Berchmans Virgineam verecundiam, candorem, modestiam, innocentiam, puritatem. Sæpius audiui è nostris mirari se, si maior in B. Aloysio fuerit, necdum videre se, quid Ioannis addi possit.

possit. Humilitate fuisse insigni, quâ cui-
que cedebat. Omnibus autem Coad-
iutoribus prior caput aperiebat, etiamsi
subinde illi non aduerteret, nec eum re-
salutarent. Omnes reuerabatur non tan-
tùm superiores, sed & alios quoslibet
præsertim sacerdotes. Mihi non semel
contigit, vt dum in hieme frigoris causâ
in aulâ vehementiùs ambularet, egóq;
per illam transirem, gressum inhiberet,
illico caput aperiret, immorus vultu de-
misso consisteret, donec pertransissem. A
præceptore eius frequenter audiui, ipsũ
ei singulis mensibus schedulam oratio-
num, & pœnitentiarum pro eo gratitu-
dinis ergo obeundarum obtulisse. Co-
mitate & suauitate omnibus erat cha-
rus. Nunquam audiui qui de eo quere-
retur, vel defectum quempiam notaret,
vt maturus iam cælo videretur. Con-
summatus enim in breui expleuit tem-
pora multa. Vultu semper erat læto &
hilari, sermone candido, incessu veloci,
sed non incitato. Deniq; mores & actus
eius

eius Angelici potius videbantur, quàm
 humani. Lampades concinnabat mira
 sedulitate, eâdem crebro seruebat in
 culinâ. Charitatem eius de prædicant
 Coadiutores & infirmi, singulos adiuua-
 bar, consolabatur, omnibus obseque-
 batur, & seruebat. Feruebat enim spi-
 ritu obedientiæ & obseruantia: Regu-
 larum valde fuit studiosus. Missus sub-
 inde ad me, pulsans cameram, cum à
 me audiret: Ingredere; consistebat ta-
 citus, mox iterabat pulsum secundò &
 tertio, donec confurgerem, & ad ianuam
 accederem, eò quod diceret se illa vice
 veniam ingrediendi cubiculum meum
 non perijisse.

Crebrò obibat pœnitentias & mortifi-
 cationes tum priuatas, tum publicas in
 refectorio, vti sæpe vidimus.

Orationi multum vacabat, sempèq;
 in præsentia DEI versari videbatur.

Diligentiæ eius & studio illustre te-
 stimonium dat Præceptor, vt veri Scho-
 laris Societatis IESV Collegio Romano

exemplar exhibuerit, quod utinam omnes imitarentur! sanè in eo uti stella in cælo emicuit.

A prandio & cæna sæpe mecum collocutus in Domino me recreauit, cum non nisi religiosa & spiritualia, præfertim quæ ad institutum nostrum cuius erat zelator, spectant, narraret. Sanè paulo ante mortem mecum visitans S. Paulum ad tres fontes, toto itinere non aliud tractauit, vbi & insigne dedit specimen obedientiæ & modestiæ: Cum enim cuperem pergere ad S. Sebastianum ideoque præcederem, vt eum pellicerem ad sequendū, illic ante templum restitit aperto capite, verecundè demissis oculis. In regressu rogavi causam: respondit: Pater mi non veniemus tempori ad mensam, nisi eo itinere quo venimus regrediamur. Regressus cum mox à prandio redire me velle domum putaret, dixit: Reuerentia vestra poterit cum alio socio domum redire, ego enim veniam redeundi non habeo.

D

quare

quare eius causa vsque ad vesperam in vinea mansi. In colloquijs si quid diuersum ab eo sentirem, tacebat, audiebat, acquiescebat.

Eximius fuit cultor B. Virginis cuius se filium vocabat. In morte licet canendi imperitus, bellè cecinit. Monstra te esse Matrem &c. Vni è nostris Concionatori petenti monitum salutis, hoc me audiente dedit: Reuerentia Vestra semper tueatur Immaculatam Conceptionem B. Virginis vsque ad mortem. Inuenta est eius sanguine subscripta scheda, in qua illam se semper defensurum iureiurando confirmat. De eius puritate, & immunitate ab omni peccato mortali per omnem vitam, & à veniali delibato in religione, & à moribus carnis, audiui cum alijs publicè asserentem eius præceptorem in oratione funebri.

Moriturus nullū mœroris, aut Passionis alterius dedit signum (vti nec aliàs vllum tale in eo notavi) resignatus patiens, serenus, hilaris, vti in vita. Paulo

antè

antè quàm sumeret viaticum, secreto ro-
gatus à me, num quid haberet, quod an-
ge et, vel affigeret animum, expansis
manibus & exorrecta fronte ridens af-
feruit: Nihil omnino. Solus deinde cum
solo collocutus, cū ardoribus aestuaret,
poposcit aquam ad abluendū os & ma-
nus; præbui cum pelui, rogauique, num
febri urgeretur, affirmavit, sed ita vt
nullum gemitum, nullum doloris daret
indiciū. Sumpsit deinde syrupum, &
mox petijt à me, vt gratias recitarem,
quasi coenam sumpisset. Recitauī illo
attento, & respondente, mox piè collo-
cuti, cum ei ingererem IESVS meus, amor
meus, & omnia; hilarescens: Ita, ita, in-
quit, IESVS centrum cordis, Deus cor-
dis mei & pars mea DEVS, in æternum.
Et ingeminabat illud quod à R. P. Re-
ctore audierat: Puer meus, noli timere
quia ego tecum sum dicit Dominus, si
transieris per ignem flamma non noce-
bit tibi, & odor ignis non erit in te. Li-
berabo te de manu pessimorū; & eruam

te de manu fortium. Petij num quidā me cuperet; respondit, se petere, vt post die pro se sacrum dicerem. Dixi, & non obtinui, quod ego, scilicet eius sanitatem, sed quod ipse cupiebat, nimirum dissolui & esse cum Christo; nam sub finem sacri animam DEO reddidit. Rursum, ora pro me, inquit, Pater, vt non capiat me nausea dulcium, quæ mihi exhibent; voti fuit compos, nam paulo post ad extrema deuenit.

Morituro se sigillatim nostri commendarunt, petentes monitum aliquod quod cuique dedit tam appositè, vt nonnulli dixerint, non potuisse magis appositè dari, etiamsi conscientia secreta penetrasset.

Tantus fuit externorū ad funus concursus, vt custodes apponi oportuerit; & tamen rapuerunt pileum, crepidas, crucem, rosarium, vestem &c. Videbar mihi videre concursum ad funus S. Alexij. Multi etiamnum petunt eius reliquias, ac non pauci fatentur se per eas bene-

beneficia cælitus consecutos. Verùm pluris apud me est suavis pietatis affectus, qui post eius mortē, totū Collegiū peruasit, quasi eius meritis à Deo afflat⁹.

Ego difficilis sum ad lacrymas, & tamē eius in templo vultū intuens eas cohiberē non potui ideóq; ab eo vultū auerti, vt officiū defunctorum prosequi possem. Crebro menti meæ obuersabatur, videor per diem æque ac noctem eū corā intueri, nec horresco sed potius ad lætitiā, & ad alacrius Deo seruiendū accendor. Nequeo in animū inducere, vt pro defuncto orem, sed opto, vt ipse pro me oret, utque anima mea sit cum anima illius. Viuat anima mea vitā, & moriatur morte Ioannis.

Multi colloquijs de eo satiari non possunt, Det DEVS, vt diuina in nobis eius restet memoria, quam intueamur & imitemur.

Iuuenis fuit ætate, sed virtute vir, constans, sempérque sui similis, exactus non scrupulosus, hilaris, non dissolutus;

sed hilaritatem religiosa maturitate temperans. Tempus adeo habebat in pretio, ut nunquam esset otiosus, semperque occupatus semper serius. Recreationem licet per amœnam & piam mecum abrumpebat, & antipendio instar coadiutoris se præcingens, lucernas suas adornabat, ne quod tempus studiis adimeret. Risus eius modicus, sine cachinnis, sales sine dente, gratia sine affectatione. Præstabat illud Apostoli: omnis sermo vester sit sale conditus. Non memini ab ore eius me audiuisse verbum otiosum multo minus quod defectum cuiusquam tangeret. De omnibus bene sentiebat & honorifice loquebatur. Nunquam vidi tristem, nunquam iratum nec tamen in actione erat lentus aut remissus: sed acer & expeditus.

Philosophiam totam publicè magnè cum doctrinæ & modestiæ laude defendit.

Sanctos mirè venerabatur, varios enim eis delegerat patronos quos alternè heb-

hebdomadis variabat, catalogum eorū,
& ordinem aliquando mihi recitavit.

Affectus peculiare erga aliquos non
habebat, idem & communis eius erat in
omnes amor. In recreatione primò oc-
currenti se iungebat, eamque crebrò &
libens peragebat cum coadiutoribus,
qui eius spiritum deprædicant.

Magna animo destinabat. Optabat
viuere & mori in castris, adiuuando mi-
lites pro fide certantes, quasi miles, imò
antesignanus Christi.

Mortem suam prædixit, luctamque in
eâ, quàm generosè sustinuit & supera-
uit, ac deinde recuperata loquela quam
amiserat, lætus suspirans ad cælum, pla-
cidè pièque obdormiuit in Domino.
Humi deponi voluit, ibique S. Synaxin
sumpsit, præmisso iuramento se velle vi-
uere & mori in Societate &c. Regulas
Societatis poposcit, dicens, se nunquam
vllam deliberatè transgressum esse. Cru-
cem manu gestabat, cum id non posset,
alius illam ei præferebat, & quocunque

eam ipse infletheret oculis animoque
 sequebatur. Nonnulli viri graues ad
 scholas vel ad templum ventitabant,
 tantum ut eius modestia & pietate se
 pascerent. Mihi ordinariè è scholis de-
 scendenti hilari vultu occurrens, læti-
 tiam adspirabat, & etiamnum sua ima-
 gine mihi obuersante magisque suis apud
 DEVM meritis & precibus adspi-
 rat.

Denique mihi aliisque iuge exitit
 virtutum speculum ac stimulus. Vti-
 nam in ultimo & magno Mundi die
 cum illo ad gloriam resurgere, atque
 coram throno DEI & Agni inter illius
 calcaneum, caput leuare merear,
 Amen.

Hactenus P. Cornelius à Lapide Sa-
 crarum Literarum Romano in Collegio
 Professor, quà auctoritate, quàm librorum
 vulgatorum multitudine clarissimus,
 Ioanne Berchmanno familiariter (ut
 ipse testatur) vsus, imo intimus.

Itaque ex hisce tam grauium atque in-
corruptæ fidei virorum testimonijs sa-
tis abundeque liquet, quantus Ioan-
nem Berchmannum virtutem omnem,
sed inprimis Hyperduliam, non tantum-
modo docuisse verbis sed & (quod ca-
put est) factis. Nam: qui fecerit & do-
cuerit, hic magnus vocabitur in regno
cælorum. Vtriusque specimen omnino
luculentum, variæ, quæ sequuntur,
Hyperdulix species da-
bunt.